



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. D. Thomæ Delbene Marvbiensis, Clerici Regvlaris,
Sacrae Theologiae Professoris ... De Immvnitae, Et
Ivrisdictione Ecclesiastica**

Bene, Thomas del

Lugduni, 1674

Sectio ij. Responsio ad fundamentum oppositum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98676](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98676)

munit. punct. 6. circa fin. Riccius collect. 1792. Gambacurta lib. 6. cap. 14. & 15. Castillus decis. 256. num. 5. Gutierrez pract. 99. lib. 3. quest. 1. num. 36. Barbosa de iure Eccles. lib. 2. cap. 13. num. 168. Auendañus de exequend. mand. part. 1. cap. 12. num. 9. & seqq. Sanchez in opuscul. tom. 2. lib. 6. cap. 1. dub. 11. num. 2. Lezana verb. immunitas Eccles. num. 28. & Diana part. 3. tract. 1. res. sol. 38. & part. 4. tract. 1. res. sol. 112.

Prima Probatio.

4 Probatur primò; quia Ecclesia ius habet defendendi reum in casibus non exceptis, & reus etiam ius habet, ne in talibus casibus à loco sacro extrahatur, cap. inter alia, cap. fin. de immunit. Eccles. & cap. sicut antiquitus 17. quest. 4. Ergo Prælatus, dum concludenter non cognoscit quod reus crimen exceptum commiserit, iniuriam Ecclesiae, & reo facit (Ecclesiam scilicet, & reum suo iure priuando) si reum iudici seculari puniendum traderet.

Dices: Episcopus per præsumptiones, & coniecturas probabiles sufficienter cognoscit: ergo (ne Ecclesiae, & reo iniuriam faciat, tradendo reum puniendum iudici seculari) non requiritur cognitio maior, seu certior, & euidentior.

5 Respondetur, nego antecedens, quia dictae coniecturae non sufficiunt, ut vincant præsumptionem ortam ex possessione immunitatis, & iure fundato, l. fin. ff. quod mens causa, & docent ibi communiter Iuristae, & Abb. in cap. quia verisimile, in 2. not. b. de praesumpt. iur. b. tum quia ad tollendum (praesertim irreparabiliter) ius ab aliquo acquisitum, non sufficit coniectura, sed requiritur plena probatio. Bald. in l. indicis, num. 2. Cod. de iudiciis, & Speculator tit. de offic. omnium Iud. §. fin. num. 18.

Secunda Probatio.

7 Secundò probatur; quia in Constitutione Gregorij XI V. exigitur, quod Prælatus, priusquam reum puniendum iudici seculari tradat, cognoscat verè, quod is exceptum delictum commiserit: ergo non sufficit, quod cognoscat per præsumptiones, & coniecturas probabiles. Consequentia probatur; quia quod per coniecturas tales cognoscitur, non verè, sed probabiliter tantum cognoscitur, seu praesumitur, & putatur; neque illud est proptiè, & absolute verum, sed sub dubio verum; sicuti recte docent Doctores, quos citat, & sequitur Farinacius conf. 168. num. 10. & conf. 76. num. 6. Et confirmatur ex doctrina Innocentij in cap. cum causam, col. 2. vers. illud autem, de iuramento calumniae, ubi ait, quod vera sint ea, quae oculis inspicimus, & indubitanter notimus, non autem quae præsumptiue credere possumus. 10 Quapropter quotiescumque lex probationem requirit, de probatione concludenti, & perfecta intelligi debet, l. Indicis, Cod. de iudiciis, & docent Decius in rubr. 10. de probationibus, num. 133. & Mascard. 11 de probat. §. 4. num. 12. Praesertim quia quando sufficit probatio coniecturalis, id à legislatore ipso cauetur, ut in l. non omnes, §. à barbaris, ff. de re militari, ibi: Argumentis tantum cognoscendum est, & in cap. pro humani, de homicidio in 6. ibi: Et postquam probabilius constiterit argumentis.

Tertia Probatio.

Tertiò probatur; quia commissum delictum esse exceptum, est conditio necessariò requisita ad hoc, ut delinquens immunitate priuetur: ut ex se patet. & iubet Gregorius XI V. in cit. sua Constitutione, ibi: Thom. Delbene de Immunit. Eccl. Pars 11,

Nisi cognito prius per Episcopum, aut eius deputatum, ut ipsi vera crimina superius expresse commiserint: ergo debet constare. Consequentia probatur, quia probatio conditionis, seu formae ad actum requisitae debet esse plena, & concludens, l. ius alimentorum, ff. ubi pupillus educari debeat, & l. Lucius, ff. de conait. & demonstr. & docet ibi Bartol. & Farinac. in cit. conf. 76. & 168. Vide Congregationem Episcoporum, quae in vna Cremonensi die 27. Iulij 1618. decreuit, quod ad delinquentem extrahendum à loco immuni, & consignandum Curiae seculari, non sufficiat sententia contumacialis (cum hac non probet delictum) sed requiratur pl. nior probatio. Vide etiam Guazinum in defens. reorum, tom. 1. defens. 1. cap. 31. num. 9. Castillum decis. 156. num. 9. Riccium in prax. tom. 2. res. sol. 450. num. 3. Regentem Constantium in supplic. ad Paul. V. num. 69. Cutellium in Notis politicis ad Leges Siculis Marini Regi, controuers. 5. & 7. fol. 432. & de immunit. Eccles. lib. 1. quest. 38. & lib. 2. §. 24. & Gamb. decis. 179. qui tamen tenere videntur, quod probatio illa, quae sufficit ad torturam super delicto, sufficiat etiam, ut quis delectetur non gaudere immunitate fori, & Ecclesiae.

SECTIO II.

Responsum ad fundamentum oppositum.

SUMMARIUM.

- 1 Iudicio Episcopi remittitur quænam delicti probatio sufficiens sit, non tamen remittitur iudicio eiusdem derogare iuri, & perfecta probationi delicti.
- 2 Episcopus in tali cognitione tenetur seruare ordinem iudicium, & omnes regulas iuris.
- 3 Soluuntur opposita.
- 4 Episcopus si errauerit in iudicando delictum esse exceptum, cum reuera non sit, tenetur repetere reum, & index secularis restituere.
- 5 Error vnus non debet alteri præiudicare, praesertim reo, & Ecclesiae, pro quorum favore clamant omnia iura.
- 6 Idem dicitur si Episcopus indicauerit contra Curiam sacularem, sed per errorem, quia tunc etiam tenetur tradere reum.
- 7 Index secularis, vel reus lata sententia per Episcopum an gaudere debeat, necne, potest appellare, si habeat sufficiens, & rationale fundamentum, contra Peregrinum, & alios.

Respondetur ex dictis, quod licet in dicta Constitutione Gregorij XI V. remittatur iudicio Episcopi, quænam delicti probatio sufficiens sit, non tamen remittitur iudicio eiusdem, derogare verè, & perfectæ probationi delicti. Quinimò Menoch. quest. 8. de arbitr. iudic. lib. 1. ait, quod cum remittatur iudicio Episcopi, verba hæc denotent arbitrium boni viri, l. fideicommissaria, §. ceterum, ff. de fideicommiss. & l. fideicommissa, §. si fideicommissum, ff. de legat. 3. quod & docet etiam Barr. in extrag. ad reprimendum, verb. videtur, in princip. & num. 4. & sic quod teneatur Episcopus seruare ordinem iudicium, & omnes regulas iuris: idem Bartol. in d. ff. verb. Videtur, num. 8. Alexand. conf. 33. lib. 1. num. 3. Ias. in l. si sic legatum, ff. de legat. 1. num. 26. Idque etiam in criminalibus, ubi quoque liberum arbitrium est legibus subiectum. Ias. ibid. num. 24. Farinacius in fragment. part. 1. litera A, num. 244. & idem Menoch. de arbitr. iudic. lib. 1. quest. 9. num. 3.

4. *quest. 13. 20. & 77. & consil. 69. num. 63. & 69. & consil. 1131. num. 8. lib. 11.* Instabis ex Giurba loc. cit. in Constitutione Gregorij XIV. non præscribitur forma seruanda in huiusmodi cognitione, sed generaliter, & absolute dicitur, nisi cognito prius per Episcopum, an ipse verè crimina superius expressa commiserit: ergo cum huiusmodi verba generalia sint, generaliter intelligenda sunt, & consequenter in quavis cognitione verificantur, *l. cognitionem, ff. de ord. & extraord. cognit.* Præterea, sicut Iudex, cui imponitur, vt cognitionem reiciat, potest cognitionem reicere per informationem sine processu, & extrajudicialiter, ex gloss. in *l. ius alimentor. §. 1. verb. Cognitio, ff. ubi pupillus educ. deb.* ita & in casu nostro. Denique in questionibus emergentibus sufficit cognitio extrajudicialis, & non requiritur cognitio causæ plenaria, ex Bartolo, & Baldo in cit. *l. ius alimentorum*: ergo, &c.

Respondetur, quod ad hæc pateat ex dictis.

Cæterum dicendum, quod si Episcopus in iudicando errauerit, v. g. iudicauerit reum commisisse crimen exceptum (& sic dederit licentiam iudici sæculari illum extrahendi) postea verò nouerit oppositum, v. g. reum commisisse crimen non exceptum, teneatur illum repetere, & iudex sæcularis teneatur illum restituere, vti rectè notarunt Regens Constantius in supplicatione ad Paulum V. pro moderanda Bulla Gregorij XIV. num. 70. Anton. de Marinis *resol. quorund. cap. 175. num. 4. & seqq. Diana part. 4. tract. 1. resol. 34.* Et ratio est, quia non debet error vnus alteri præiudicare, præsertim reo, & Ecclesiæ, pro quorum fauore clamant omnia iura.

Idemque propter eandem rationem dicas, si Episcopus in iudicando errauerit in præiudicium Curie sæcularis, quod debeat similiter postea reum Curie sæculari tradere. Vnde non improbat mihi, quod Farinac. in *append. de immunit. cap. 22. num. 372.* Gambacarta *lib. 6. cap. 17. num. 3.* & Ciarlinius in *controuers. forens. cap. 116. num. 68.* docent, nempe, quod si lata fuerit sententia iudicis Ecclesiastici, quod reus gaudeat, vel non gaudeat immunitate Ecclesiæ, possit iudex sæcularis, vel reus (si habeat satis sufficiens, & rationabile fundamentum appellandi) de tali sententia appellare; quidquid in contrarium sentiant Peregrinus de *immunit. cap. 16. num. 33.* & Diana *part. 3. tract. 1. resol. 38.* & videri etiam poterit Guazzinus de *modo defend. reos, tom. 1. defens. 1. cap. 31. num. 11.* & Bonacina de *legibus, disp. 3. quest. 7. punct. 7. num. 11.*

SECTIO III.

Altera difficultas, eiusque solutio.

SUMMARIUM.

1. Constitutio Gregoriana, quod non detur appellatio, non habet locum quando est satis sufficiens, & rationabile fundamentum appellandi, & sic non tollit, siue reo, siue fisco appellationem, quando notoriè, vel satis fundatè de lata sententia iniustitia constat.

Obiicies, in Constitutione Gregorij XIV. explicite reo prohibetur appellatio, quapropter etiam prohibita implicite censetur fisco, & actori, vt seruetur in iudicio æqualitas; quæ, si seruanda non esset, potius ad rei (cuius partes sunt fauorabiles) quàm ad fisci fauorem seruari non deberet; vt contra Gambacurtam, & Bonacinam in locis *supra cit.* docent Peregrinus, Ciarlinius, & Sperellus in *decision. for.*

Ecclesiast. decis. 65. num. 2. & seqq. qui num. 7. subdit, quod in dicto casu non solum denegari debeat fisco appellatio, sed etiam recursus, & assert pro se sacre Congregationis immunitatis declarationem, die 6. Iunij 1619. & alteram die 15. Decembris 1634. & præterea responsionem Urbani VII. priuatim sibi datam (cuius iussu, inquit ipse, de Codice Gambacurtæ deleta fuit sententia contraria) & sic quod licet prohibita appellatione, non censeatur de iure communi prohibitus recursus (vt docet Minadous *decis. 27.* & alij, quos citat & sequitur Martha de *iurisdic. part. 4. centur. 1. cas. 56. num. 7.*) id tamen non procedat in terminis Constitutionis Gregorij XIV.

Respondetur ex dictis, quod Constitutio Gregoriana non procedit, quando est satis sufficiens, & rationabile fundamentum appellandi, & sic non tollit, siue reo, siue fisco appellationem, quando notoriè, vel satis fundatè de lata sententiæ iniustitia constat; quia clausula illa, *appellatione remota*, non prohibet appellationem à sententia notoriè iniusta, vt præter Doctores, quos citat, & sequitur Ciarlinius loco *supra citato*, num. 69. docet Scaccia de *appellat. lib. 3. capite 2. quest. 16. limitat. 1. num. 84.* & Gloriti in *cap. super literis, de rescript. num. 333.* Vide etiam Franciscum Zipæum *lib. 3. titul. de immunit. Ecclesiast. consil. 3.* Vbi rectè etiam docet, quod quando iudex Ecclesiasticus ex præparatorijs informationibus, inaudito reo, declarauit immunitate eum non gaudere, possit reus appellare, idque probat ex ipsa Constitutione Gregorij XIV.

DVBITATIO XLIII.

An Iudex Ecclesiasticus obligatus sit in hac cognitione stare processui factò à iudice laico, vt possit reum remittere Curie sæculari?

SECTIO I.

Dubitationis Resolutio.

SUMMARIUM.

1. Iudex Ecclesiasticus non tenetur stare processui fabricato à iudice laico, vt possit reum remittere Curie sæculari.
2. Acta instructoria vnus iudicij non probant in alio; nisi fiant inter easdem personas, in iisdem causis, & ad eundem effectum.
3. Cui delegatur alicuius causa cognitio, prout in causa immunitatis delegatur Ordinario, ei delegatur facultas sumendi probationes pro tali cognitione.
4. Probationes, quæ fiunt sine citatione partis vim non habent.
5. Iudex sæcularis cum probationes facit de delinquentis delicto, Ecclesiam, vtpotè ei non subiectam, non citat, neque ipsum delinquentem.
6. Ampliatur nostra opinio negatiua, si urgeat aliqua suspicio contra testes examinatos à iudice sæculari.
7. Episcopus si processus delinquentis factus fuerit antequam de immunitate ageretur, potest stare processui iudicis laici, non tamen tenetur.

Respondetur negatiuè. Atque ita contra Giurbam in *consil. 50. n. 3. & consil. 100.* qui contrariu tenet ex Breui